

2. Ordenspersonen mit einfachen Gelübden können nur aus sehr wichtigen Gründen auf gültige und erlaubte Weise ausgestossen und entlassen werden, und sind hernach nicht mehr zur Erfüllung der abgelegten Gelübde, noch auch zur Rückkehr in die Ordensgemeinschaft verpflichtet, wofern sie nicht durch List und Betrug ihre Ausstossung erschlichen haben.

3. Die Mitglieder jener religiösen Genossenschaften, welche zwar einfache Gelübde, aber nicht das Wesen des Ordensstandes haben, können ohne gerechten Grund nicht ausgeschlossen, wohl aber mit ihrer Zustimmung entlassen werden, wofern sie nicht durch ein acceptirtes Gelübde oder Versprechen zum Verbleiben sich verpflichtet haben.

Henrici Hersfeldensis Epistola

De modo caeremoniandi fratrum Cassinensium.

Ex cod. Averbodiensi saec. XV. (quondam S. Petri in Erfordia).

Quando quidem multorum in Ordine nostro ambitio est, rem monasticam asperis eventibus satis turbatam in melius restitui, haud alienum certe videtur antiqua patrum documenta e tenebris in lucem revocare. Hae sunt enim „semitae“ illae „antiquae“ de quibus nos jubet interrogare Propheta, quibuscumque in via bona ambulare cordi est.

Editum infra opusculum, licet mole exiguum videatur, non spernendo tamen ex loco prodiit, nempe ex ipsa „petra unde excisi sumus, et ex caverna laei de qua praecisi sumus.“ Illuc enim, Sublacum dico, ex nobili Hersfeldensi monasterio advenerat Henricus noster, quidquid ibi sanctioris disciplinae reperiret, Germanis nostris, initio saeculi XVI talium maxime cupidus, transmissurus.

Ex n. 5, de habitu Conversorum, apparet reformationem quandam jam apud Hersfeldiam introductam fuisse ante scriptam a peregrinabundo monacho epistolam. Eam fuisse suspicamur, de qua scriptores Galliae Christianae tom. V, p. 571, ubi de abbate Hermanno II: „An. 1414, inquirunt, dominica post decollationem Sancti Joannis Baptistae, hujus loci coenobitae quamdam ordinationem dicuntur.“

Ab imperito sane librariolo transcriptum fuisse exemplar quo usus fatendum est. Verum illud contigit, ut ab ipso Henrico in patriam reverso correctum fuerit: cujus rei indicium est annotatiuncula altera manu ad calcem epistolae apposita: „Nota per totum iste tractatus est verissimus et per me correctus, qui vidi et audivi. Sed interdum grammatica est corrupta in scribendo. Ad hoc solum attende.“ Nonnulla revera sic emendata in textu decursu animadvertere erit.

Ceterum adnotationibus parcere idcirco visum fuit, quod non pauca ex his, quae forte explananda forent, Martenius alique egregii Regulae interpretes luculentius jam edisseruerint. Reliqua remittam doctiorum examinanda ponderibus. Satis habeo unam alteramve barbaram seu minus usitatam vocem explicuisse, ne qua legenti minus nota ingratis obsistant.

Inprimis grates debitas agere liceat reverendo viro D. Stanislao Joris, candidi Ordinis Praemonstratensis Canonico, necnon insignis Averbodiensis Coenobii armario meritissimo, cujus, ut Henrici nostri tractatum proferre potuerim, humanitas fecit.

Maredsous.

P. Germanus Morin, O. S. B.

Tractatus

sive Modus Ceremoniandi fratrum Cassinensium.¹⁾

Venerabilibus ac religiosis viris ac Dominis Eberhardo decano totique conventui monasterii Hersfeldensis cunctisque venerabilibus monachis ordinis sanctissimi ac piissimi patris Benedicti in regulari vita Christo regi militantibus, Henricus indignus professus monasterii et Ordinis eorumdem, degens de praesenti in curia et urbe alma romana, spiritum ducem Heliae feliciter acquirere et in Domino jupiter jubilare.

Quamquam inutilis et ignarus ac foedus sim peccator, necnon variis defectibus tam spiritualibus quam corporalibus graviter vulneratus, tamen nonnunquam Deo misericordissimo operante, ut firmiter credo, cordi meo in-nascitur fervens desiderium ad militiam regularem, praecipue quando recogito felicissimos conventus quos sancti Patres in heremis et monasteriis quondam fecerunt et habuerunt. Nuper specialiter desiderantissimis desideriis optabam videre speluncam heremiticam quam sanctus Benedictus in primordio suae religionis petebat et inhabitabat. Domino concedente viam pedestrem arripui, et ad territorium Sublacense in Campania regione positum intravi, et concedente Christi gratia perveni, et multa spiritui delectabilia bene religiose viventi placibilia ibidem inveni et comperi, quae licet in illis partibus sint antiqua et non rara, tamen multis religiosis fratribus ea nondum facientibus essent bene rara et aedificantia, de quibus tamen singulis in praesenti loco supersedeo, sed si tempus patiatur inferius aliqua applicabo. Sed ad ea, quae pro reformatione religionis et Ordinis sancti Benedicti valent, me primum transfero. Et ea quae in illis locis electis et sanctis vidi et audivi, quasi autentica reputo, cum in ibi sanctus. Pater noster regularem vitam instituit, quae a temporibus suis ibi nunquam defecit.²⁾

1. De susceptione hospitum.

Primum igitur sanctam susceptionem hospitum descripturus, de dispositione portae monasterii aliqua pono quae vidi. Est igitur in unoquoque monasteriorum una porta communis per quam communiter homines intrant et exeunt: ita quod in nullo alio loco patet introitus vel exitus monasteriorum, neque etiam ad curiam monasterii potest aliquis venire nisi per eam portam unicam. Talis autem porta est satis solemniter aedificata, habens cellam seu habitationem annexam, in qua moratur unus frater conversus portenarius qui quotidie ibi residet. Et porta est quotidie clausa, ad quam ipse habet claves. Est etiam ante portam facta una testudo lapidea satis pulchre et reverenter depicta, ita quod testudo annexa est januae, subque testudine hospites possunt sedere et exspectare donec intromittuntur, ita quod a pluvia vel nive interim ibi non vexantur, quia illa testudo est superius tecta bene. Super januam sunt picturae Crucifixi, beatae Mariae virginis Matris Dei, et sancti Johannis. Et in testudine hujusmodi sunt picturae sancti Benedicti, sanctae Scolasticae et aliorum patronorum monasteriorum. Adveniente igitur aliquo hospite ipse pulsat cum pulsatorio ferreo, quod a dextra est appensum januae. Quod audiens portenarius statim quaerit, Quis ibi? et hospes respondet, Bonus adventus, vel simile. Quod sic tunc portenarius aperit cum clave suam fenestram, quae est in medio januae, et inspicit hospitem et cum reverentia et humilitate dicit, Bene venistis Deo, vel consimile. Et ulterius quaerit, Quid vultis? Si dicit hospes: Peto propter Deum et Ordinis reverentiam hospitium apud vos, tunc statim respondet portenarius: Reverende pater, vel domine, vel amice, nos habemus regularem

¹⁾ In margine sic inscribitur: „Modus vivendi monachorum in Monte Cassino et monasterio Sublacensi.“

²⁾ Henricus addidit: „Quod si defecit ad tempus in uno loco, non tamen in alio.“

consuetudinem, quod nomen intromittimus nisi cum licentia domni prioris. Expectetis ergo modicum ut domno priori indicem adventum vestrum. Et sic portenarius vadit ad domnum priorem et nuntiat sibi adventum hospitis. Et sciendum quod in quolibet monasterio est constitutus magister hospitum, scilicet unus monachus bonarum litteraturae et conversationis, qui habet claves ad cellas hospitum, et hospites advenientes suscipit, eos ad cellas suas ducit, eorum confessiones audit, cum eis loquitur, et interdum comedit, et inter eos et priorem et conventum mediator in omnibus, et est talis magister, quod ab eo tota congregatio laudem recipit. Statim ergo prior, postquam circa eum fuit portenarius, dicit Magistro hospitum quod vadat et suscipiat hospitem. Qui magister hospitum cum omni humilitate et disciplina venit et facit sibi aperiri portam, et cum silentio cum hospite cadit ad genua orando ad prolixitatem unius *Pater noster* versus imaginem Crucifixi, quae est supra januam. Quo facto surgunt ab oratione, et cum silentio intrant ad ecclesiam et si aqua est benedicta in medio, aspergitur hospes aqua benedicta. Et cum veniunt ante unum altare in via ad cellam hospitum congruentius positum, procidunt ad genua et orant *Pater noster*. Et Magister hospitum recitato *Pater noster* dicit alta voce: *Et ne nos inducas in tentationem. Salvos fac servos tuos.* Et hospes respondet sibi. Et legit magister hospitum collectam pro redeuntibus de via. Qua collecta finita surgunt ab oratione magister hospitum, hospes et suus servitor, et transit cum eis ad unum locum, scilicet ad capitulum vel ad alium ubi habet librum. Et legit sibi unam lectionem in regula vel in alio libro. Qua lectione conclusa per *Tu autem*, Magister hospitum dat hospiti osculum pacis ad maxillam suam cum omni caritate et humilitate, et similiter servitori suo. Et tunc magister hospitum secundo loquitur cum hospite dicendo: *Bene venistis, reverende pater, vel domine, vel frater, vel amice; et quaerit unde veniat, ad quid venerit, etc.* Et tunc introducit eum ad domum hospitum. Et quaerit an velit comedere vel bibere. Et hospes manet in cella sua usque ad finem Completorii. Finito completorio magister hospitum ducit hospitem ad locum conventualem, ubi in sabbato peragitur mandatum, ubi invenitur calefacta aqua cum pelvibus et tersoriis. Et tunc convenit prior et totus conventus, et progreditur hospes circa locum prioris. Et surgit prior cum magistro hospitum, et lavat bene et humiliter flexis genibus, depositis caputiis, pedes hospitis; prior lavat dexterum pedem, et magister hospitum sinistrum pedem, et simul sedent et lavant. Et postquam prior et magister hospitum laverunt pedes hospitis, surgunt humiliter inclinando hospiti, et effunditur illa aqua immunda, et infunditur alia, et imponuntur pedes ejusdem hospitis ad aquam illam. Et accedunt duo seniores, et flexis genibus lavant hospiti pedes; quorum lotionem finita surgunt ut priores fecerunt. Et accedunt duo alii, qui simili modo lavant, et tunc iterum duo alii, et sic per duos et duos eidem lavantur pedes per totam congregationem tam clericorum quam conversorum ibi praesentium. Singulis itaque lotionibus completis, surgit prior, et cadit ad genua, et accipit pedem dextrum hospitis cum lintheolo, et tergit eum mundissime in omni loco superius et inferius, etiam inter pedicas;¹⁾ et pede undique terso facit signum crucis cum digitis in superiori loco pedis et ibi osculatur. Et magister hospitum cadens ad genua eundem locum pedis osculatur. Et surgente magistro hospitum accedunt duo seniores depositis caputiis, et flexis genibus osculantur eundem locum pedis; et sic prior sedet et tenet pedem illum donec duo et duo per totam congregationem osculati fuerint pedem illum. Completis igitur osculationibus prior reponit pedem illum ad unam planellam siccam, et accipit sinistrum pedem, et siccatur eum et reponit eum etiam ad unam planellam; et tunc tollitur et deponitur aqua illa, et prior linteum deponit, et ponit se circa hospitem, et statim istis factis omnes et singuli cum hospite cadunt ad genua, et prior incipit: *Salvos fac etc., Tu lavisti pedes discipulorum tuorum etc.*

¹⁾ digitos pedis.

Et prior legit collectam consuetam legi peracto mandato. Quibus finitis, tota congregatio inclinatur hospiti, scilicet duo et duo simul, et transiunt ad dormitorium, sed prior manet cum hospite. Et facit sibi propinari potum caritatis, scilicet duos haustos vel tres, ita quod unum de senioribus retineat secum. Quibus haustibus factis, prior valedicit hospiti, et cum illo seniori vadit ad dormitorium. Et tunc magister hospitem ducit hospitem ad calefaciendum se¹⁾ et postea ad dormiendum in cella hospitem. Et magister hospitem quaerit hospitem an etiam in nocte velit surgere ante diem propter legere horas. Et si dicit sic, tunc quaerit qua hora. Et si dicit; Post nocturnos, vel alia hora, tunc Magister hospitem venit illa hora et portat hospiti lumen ardens et ponit ad candelabrum ut hospes surgat nocte. Et talis magister hospitem in die visitat hospitem conferendo secum, dicendo quod habeat patientiam, etc. Et frangit silentium propter hospitem tam in die quam in nocte. Et ne circa praedicta fiant dubitationes, tunc sciendum quod si aliquis hospes venit post Completorium, tunc suscipitur eodem modo sicut prius dictum est. Sed solus magister hospitem cum uno alio fratre coassumpto lavat suos pedes, ita quod tota congregatio non revocatur a dormitorio propter hospitem. Item sciendum quod illam susceptionem non faciunt cum eorum fratribus conventualibus missis forsitan ad territorium eorum vel ad duas dietas vel tres; sed illi venientes de via suscipiunt benedictionem post horam. Et si forsitan aliquis conversus debet exire monasterium per dimidium diem vel integrum, tunc procidit ad genua coram priori, qui extendit manum suam, quam recipit conversus cum ambabus manibus, et prior facit super eum signum sanctae Crucis et exit: hoc vidi fieri tam in choro quam extra. Et quodcumque aliquis monachorum redit: cui prior dat manum in susceptione, tunc ille cum reverentia cum utraque manu recipit manum prioris, et inclinatis seu incurvatis aliquantulum genibus et corpore osculatur eam. Sed istam solemnem susceptionem faciunt tantum cum peregrinis monachis et alienis de alienis monasteriis venientibus, vel cum monachis eorum absentibus longo tempore, vel a remotis venientibus. Ista etiam faciunt cum presbyteris, clericis et laicis volentibus hospitari per noctem. Et si eorum multi veniunt, tunc omnia praemissa faciunt cum unoquoque eorum. Ista omnia facta fuerunt circa me miserum. Et quando aliquis frater mittitur, tunc portat baculum sicut sanctus Antonius depingitur habere, scilicet baculum perigrinalem.

2. De distinctione monachorum et habituum.

Quidam sunt in monasterio qui dicuntur monachi professi clerici, ut presbyteri, diaconi, subdiaconi et acoliti, et illi superius portant froccum nigrum cum longis manicis et cuculla a parte faciei aperta ut nobiscum. Post hoc habent scapulare quod est ita dispositum.

3. De Scapulari.

Nam scapulare id est tam latum quod protegit scapulas monachi, ita quod non vadit nec cadit ultra scapulas. Et id scapulare habet cucullam seu cappam modicum minorem quam est cuculla in frocco, est tamen eodem modo disposita sicut illa. Et illa cuculla scapularis a parte faciei est totaliter aperta sicut in frocco; et cuculla illa scapularis licet non sit tam magna sicut cuculla frocci, est tamen adeo magna quod quando supra ponitur capiti, quod tunc plane et sine ruga a retro jacet in dorso et ejus extremitas acuta quasi vadit ad locum cinguli. Et nomine cucullae seu cappae in istis verbis denoto id quod superponitur capiti quod est totaliter praeapertum. Et hoc scapulare est tam longum quod pertingit ad talos, ita quod laborantes et ambulantes non impediuntur. Et talia scapularia monachi habent tam in die quam in nocte. Patet ergo quod scapularia nostra non valent, quia non sunt adeo lata quod tegunt

¹⁾ Henricus in margine addit: „si est frigus.“

totaliter scapulas, nec habent cucullas satis magnas; sed scapularia eorum sunt quasi tam magna sicut habitus novitiorum.

4. De tunicis.

Tunicas portant in modum nostrum in monasteriis et aliis dispositionibus; sed nigras tunicas portant superius. Similiter in Monte Cassino portant nigras tunicas, et in omnibus monasteriis nostri Ordinis in quibus fui vel de quibus audivi; sed omnes mirantur quare nos tunicas superiores portemus albas. Sed tunicas nocturnales et inferiores portant albas.

5. De habitu Conversorum.

Quidam sunt in monasteriis qui dicuntur conversi qui professiones fecerunt, et artes suas et officia et servitia sua adimplent. De mane presbyteris in missis ministrant; hujusmodi mittuntur pro negotiis monasterii, divinis diligentius intersunt. Habitus eorum est dispositus praeclise sicut ille habitus quem ante reformationem portaverunt monachi in nostro monasterio,¹⁾ sicut in multis locis adhuc portant quidam monachi. Et habet manicas apertas hinc inde assutas ad habitum; et manicae illae sunt adeo longae quod tegunt manus Conversorum, nullo modo tam longae sicut manicae in frocco, sed tamen tendunt ultra manus uniuscujusque: quia monachus quilibet debet absconsis manibus incedere, et sic manicae illae sunt quasi dispositae sicut manicae in habitibus magistrorum et baccaliorum artium, sed tamen non habent multas rugas et plicas coreales.²⁾ Cucullae illius habitus sunt praeapertae totaliter. sicut in habitu nostro. Et sic patet quod monachi ante reformationem portaverunt habitum conversorum, sicut heu! adhuc multi portant. Et scio quod in Monte Cassino a principio conversi talem habitum portaverunt et adhuc portant. Patet ergo quod habitus conversorum apud nos est per ignorantiam et errorem introductum; neque est habitus nostri ordinis sed est habitus ordinis Praedicatorum. Tunicas nigras et albas et scapularia portant Conversi sicut presbyteri, quae omnia superius descripsi.

6. De oblatiis.

Quidam sunt in monasteriis qui dicuntur oblatis, qui non faciunt professionem, sed votum fidelitatis, stabilitatis et obedientiae. Et illorum vita est laxior et remissior, sed tamen non habent propria, nec comedunt carnes, tonsuram non deferunt, sicut nec conversi, praetonsos crines et apicinos³⁾ habent, sicut etiam aliqui conversi. Quidam enim conversi non habent longam barbam, sed eis radditur sicut aliis, et quidam habent. Isti oblatis non habent alium habitum nisi tunicas in modum monachorum, et caputium, et scapulare etiam in modum monachorum, prout superius descripsi, sed de grossiori panno quam alii. Et isti oblatis apud cartusienses dicuntur donati. Et licet isti voveant obedientiam, tamen non in regulam.

7. De noviciis.

Quidam sunt in monasteriis qui dicuntur novicii, qui ad probationem suscipiuntur, et in refectorio comedunt, in dormitorio dormiunt, chorum et divina visitant. Scapulare non portant nisi facta professione, et tunicas portant ut alii monachi.

Sequitur de Divinis, et primo.

¹⁾ Cf. observat. praevias.

²⁾ in ambitu.

³⁾ Apica dicitur ovis quae sub ventra nuda est; inde potuit verbum apicinus efformari, nisi forte locus sit corruptus negligentia scriptoris.

8. De trina oratione.

Ad trinam orationem dicuntur ab unoquoque monacho infrascriptae orationes, prout vidi et audivi et in antiquis eorum libris legi, et inde scripsi. Ante primam orationem praemittunt Pater noster.

Oratio prima ad Patrem.

Domine Deus Pater omnipotens, qui consubstantiali et coaequalem tibi ante omnia saecula ineffabiliter Filium genuisti, cum quo atque cum Spiritu sancto ex te eodemque Filio procedente omnia quaecumque existunt, visibilia atque invisibilia creasti: Te adoro,¹⁾ te laudo, te benedico, teque glorifico. Esto quaeso propicius mihi peccatori, et ne despicias opere manuum tuarum, sed salva et adjuva me propter nomen tuum sanctum. Amen.

Ad secundam orationem, quae sequitur, dicunt primo Gloria in excelsis.

Oratio ad Filium.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es omnipotens et verus Deus, splendor et imago Patris et vita aeterna, cui una est cum Patre Sanctoque Spiritu substantia, aequus honor, eademque gloria, et coaeterna majestas, te adoro, te laudo, te benedico teque glorifico: ne me, obscero, perire patiaris, sed salva et adjuva me gratuito munere tuo, quem dignatus es redimere pretioso sanguine tuo. Amen.

Ante tertiam orationem dicunt Credo in Deum.

Oratio ad sanctum Spiritum.

Domine Sancte Spiritus, Deus omnipotens, qui coequalis, coaeternus et consubstantialis Patri Filioque existens ab eis inenarrabiliter procedis, qui super eundem Dominum nostrum Jesum Christum in columbae specie, super apostolos in linguis igneis descendisti: Te adoro, te laudo, te benedico, teque glorifico: depelle a me, quaeso, tenebras totius iniquitatis et perfidiae, et accende in me lumen tuae misericordiae et ignem suavissimi amoris tui. Amen.

9. De modo trinae orationis.

Quando volunt facere trinam orationem, tunc inchoant stando tales orationes, et sub silentio orant. Incipiunt ergo primam orationem stando, et quando prior pervenit ad illum locum quo dicitur Te adoro, te laudo etc., tunc pulsat cum manu ad asserem,²⁾ et procidit ad genua, et tamdiu manent in genibus, donec finiatur prima oratio. Finita prima oratione, prior iterum pulsat, et omnes surgunt et incipiunt secundam orationem ad Filium, stando iterum usque ad illum locum Te adoro etc.; et tunc prior iterum pulsat et omnes procidunt ad genua, et tamdiu sedent flexis genibus donec finiatur illa secunda oratio. Finita secunda oratione prior iterum pulsat cum manu, et omnes surgunt incipientes tertiam orationem, scilicet ad Spiritum sanctum. Et cum prior pervenit ad illum locum ubi dicitur Te adoro, iterum pulsat, et omnes procidunt in genua, in genibus manendo usque ad finem. Et illo modo tenent trinas orationes omnibus diebus et noctibus, scilicet ante nocturnos, ante primam tempore suo, post completorium, omnibus festivitibus. Imo in die nativitatis Christi vidi eos procidere ad genua modo supradicto, et cum eis feci. Sciendum tamen quod de Pater noster, Gloria in excelsis et Credo in Deum, quod illa jam communiter non legunt ante orationes ut superius signatum est, quia nimia prolixitas fieret. Sed ante primam orationem communiter dicunt haec verba: Pater de coelis Deus, miserere nobis. Et ante secundam orationem dicunt: Fili redemptor mundi, miserere

¹⁾ Henricus in marg. „Nota. Beatus Gregorius magnas indulgentias dedit illis qui cadunt ad genua ibi quando dicitur. Te adoro etc. Et ergo lege libenter, quando non vales multum peregrinari.“

²⁾ tabulam ligneam.

nobis. Ante tertiam dicunt: Spiritus sancte Deus, miserere nobis, ut mihi dixerunt.

10. De horis Canonicis.

Mihi videtur quod eorum orationes sint tam prolixae sicut nostrae. Semper legunt cursum de beata Virgine. Etiam in die Nativitatis Christi legerunt matutinas de beata Virgine, et Vesperas in armario; sed alias horas de beata Virgine quilibet legebat per se et non in choro, prout etiam nobiscum fit. Sed cursus de beata Virgine est multo prolixior apud eos quam apud nos, quia ad quemlibet psalmum tam in matutinis quam in laudibus habet specialem antiphonam, et cum hoc illae antiphonae variantur secundum festa. Et cum hoc extra octavas ipsi legunt unum cursum de sancto Benedicto; preces et psalmos praestatos in quadragesima ipsi legunt sicut nos. Ad horas ipsi dicunt semel Kyrie eleison sicut nos; et singula simul comproporcionando, tunc videtur mihi quod eorum orationes sint tam prolixae sicut nostrae. Ad matutinas legunt de legenda Sanctorum, scilicet de passionibus, et cantant etiam responsoria et antiphonas de sanctis solita et solitas. Et ergo cessat disputatio quorundam dicentium talia non esse legenda nec cantanda, quia apocripha, cum etiam summus Pontifex talia legat. Interdum habent XII lectiones de sanctis.¹⁾

11. De tenebrosis matutinis.

In tenebrosis matutinis servant tres lectices et tres psalmos tantum, nec destruunt se talibus clamoribus neque fatigant se taliter ut nos.

12. De sanctissimo die Paschae.

Poenitet me quod quondam apud nos tanquam magistrator sciolus disputavi, quod in die paschae deberent servari tantum tres lectiones et tres psalmi, sed verissimum est quod ipsi servant XII psalmos, tria cantica, XII lectiones et XII responsoria, sed tantum tres antiphonas ad nocturnas, scilicet unam ad primum nocturnum, unam ad secundum, unam ad cantica. Ista dixerunt mihi et vidi in libris eorum antiquis et novis, et similiter servatur in monte Cassino, ut dictum est mihi.

13. De tempore frigido.

Tempore frigido diligentissime se custodiunt a frigore et capita eorum quotidie et frequenter habent cooperta in choro et extra. Et quamvis alter alteri inclinet, tamen tunc non denudat caput, si etiam loquatur cum superiori, nec tunc ad collectas deponunt, sed tantum quando elevatur corpus Christi, vel quando aliquis celebrat, vel quando incipit aliquid in choro, vel quando dicit versiculum, legit lectionem vel cantat versum. Et sic patet quod nec in processionibus, nec stationibus, nec in festis in albis, nec in summis festis tempore frigido debemus stare capite discooperto, sed tectis capitibus, ne destruat cerebrum per horrenda frigora. Quando sunt induti albis, tunc tegunt capita cum humeralibus, et inferius ponunt birreta. Et birreta eorum non sunt rotunda, sed taliter facta quod tegunt aures et maxillas; et inferius sub mento connodantur interdum, et interdum sunt sine nodis. Et quando legitur Evangelium, ipsi servant capita cooperta. Sed rotunda birreta nullus portabit, nisi abbas, doctor vel magister. Et nunquam portant birreta nisi sub cappa vel cuculla frocci vel scapulari.

¹⁾ Henricus: „Nota quod nunquam dicunt tres lectiones de sanctis, sed lectiones XII.“

14. Quomodo surgatur in nocte.

Omne tempore anni surgunt post medium noctis, scilicet secunda hora vel quasi, et non reponunt se ad lectos post matutinas; sed finitis matutinis, tunc quando hoc est tempus, statim servant trinam orationem, quam nos quibusdam temporibus servamus ante primam. Finita illa trina oratione ipsi sacerdotes faciunt confessiones. Factis confessionibus quilibet legit poenitentiam sibi injunctam, et si est frigidum, calefacit se. Post hoc pulsatur ad primam, quae cantatur. Prima finita vadunt ad capitulum. Capitulo finito tempore hyemis incipit fieri clara dies, ita quod tempore hyemis ista omnia fiunt ante clarum diem. Et postea celebrantur missae. Et sic missae eorum finitae sunt bene eo tempore quo nos pigri incipimus surgere tam hyeme quam aestate. Sed si quis interdum multum gravatur somno, ille petet licentiam, et datur sibi licentia ad dormiendum sedendo, nisi tunc rationabilis sit causa: tunc datur sibi licentia ad dormiendum in lecto. Sed neminem hoc vidi facere, sed vidi sexagenarios qui servaverunt vigiliis suas.

15. De Opere manuum.

Quando adest hora in qua secundum regulam debent fieri labores, tunc prior cum fratribus qui steterunt in choro intrat auditorium, et injungit fratribus labores conjunctim vel divisim, dicendo omnibus: Vos debetis hoc facere, vel unicuique: Frater, tu debes hoc facere. Et sunt in laboribus usque debeant intrare chorum. Et tunc omnibus dimissis quae prae manibus habentur, ipsi intrant chorum, nisi tunc quis remote laboreat ab oratorio. Et ita patet quod tempore quo erit laborandum ipsi omnes transiunt ad auditorium, unus chorus stat contra chorum, et prior praecipit et disponit.

16. Quomodo servatur in refectorio.

Quomodo refectoria sint disposita, ego de praesenti non describo, sed aliquas sanctas antiquas disciplinas ibi servari solitas pro posse meo ut vidi et audivi describo. Quando enim appropinquat hora prandii vel caene, ebdomadarii mensae debite et bene praeparant mensas, scilicet tegunt mensas, ponunt coclearia et vasa, salem, panes, vasa ex quibus bibitur, poma et nuces, ita quod ista omnia sunt in mensa, quando fratres intrant refectorium, et etiam priusquam intrent. Quando igitur fratres transiunt ad comedendum, quilibet lavat et tergit manum suam. Et postea quilibet transiat ante mensam circa locum in quo debet sedere, ubi stat et vertit faciem suam superius versus crucem et dorsum versus coquinam vel januam refectorii, ita quod quilibet alteri advertit dorsum. Et sic nullus potest alium inspicere, sed omnes possunt inspicere formam Crucifixi, ab illo loco nullus recedit, et sic nullus juvet alium, sed tantum ministri et ebdomadarii serviunt ibi. Et si aliquis hospes supervenerit, ille ducitur ante locum mensae in quo prior jussit eum sedere. Et ibi stat sicut unus aliorum. Et taliter omnes stant, donec omnia sint parata. Et tunc prior pulsat timbalum ad Benedicite. Et tunc statim vertunt faciem ad faciem chorus contra chorum. Et prior semper incipit Benedicite. Et legitur Benedicite. Quo finito quilibet ponit se ad locum suum ad mensam, et tunc portantur ferula ad mensam. Et servatur talis modus. Quando primum ferulum fuerit prae medietate comestum, tunc statim ante plenam comestionem primi apportatur secundum ferulum, et ponitur unicuique ad locum suum, ita tamen quod propter hoc non deponitur scutella primi feruli, sed comesto primo ferulo, quilibet accipit ad se secundum ferulum et comedit illud. Postquam illud fuerit comestum pro medietate statim circumportatur pitantia, sive tertium ferulum de mensa ad mensam, de fratre ad fratrem. Et vidi quod nemo recepit pitantiam seu tertium ferulum, sed quilibet est contentus ibi duobus ferulis; et sic tertium ferulum seu pitantia reportabatur semper. Et hoc semper solet fieri. Et protestor vobis, fratres mei praedilecti, quod ipsi servant magnam abstinentiam et sobrietatem

in cibo et potu. Ergo sunt valde virtuosi viri; et cum hoc sunt multum annosi et antiqui.

17. De mensura panis et potus.

Dictum est mihi in illis locis, quod libra quam sanctus Benedictus in regula posuit adhuc sit in monte. Cassino, etiam quam manibus tractavit. Et dicitur quod haec sit quantitas et magnitudo ejus: quia accipiat unus XXIII ova gallinearum, et quantum illa ponderant, tantum etiam ponderat una libra panis. In istis itaque locis ponuntur duo panes, quorum quilibet est adeo magnus, quod unus sufficit uni viro pro bona comestione, ita quod secundus panis semper superfluit. Cum potu autem sic servatur, quia inter duos fratres ponitur unus cantarus vini, tantae quantitatis quod pro duobus plene sufficit in prandio sive coena. Et de illo cantaro sic in medio posito quilibet illorum infundit sibi ipsi in cantarum suum parvum de quo bibit pro necessitate sua. Et sic patet quod in refectorio eorum non oportet fieri cursitationes et strepitus sicut apud nos, quia non est necesse apportare alios panes, nec ministrantes transeunt ut infundant potum, sed quilibet sibi ipsi infundit, ut dictum supra.

Quando autem fratres comederunt, tunc tolluntur scutellae et omnia, et cum hoc mensale mundissime recolligitur et tollitur de mensis. Postea veniunt ministrantes cum una sportula et parva scoba, et purgant micas de mensis et deportant eas. Quibus factis ministrantes veniunt, et quilibet eorum ante mensam suam in inferiori loco mensae, tamen ante mensam ut videri possit ab omnibus, devote deposito caputio procidit ad genua versus imaginem crucifixi, et brevem inclinationem facit ibi, et immediate inclinatur profunde priori vel seniori mensae, et postmodum omnibus aliis simul, et simul tantum, et sic exit quilibet eorum. Et tunc datur signum ut fratres surgant a mensa, et dicitur gratias ut nobiscum. Et postquam domini exiverunt, ministrantes habent mensam suam praeparatam, et redeunt cum ferculis suis ad refectorium et comedunt et legunt gratias ut nobiscum.

Et notandum circa praemissa, quod quando aliquis hospes debet primo intrare refectorium, tunc ipse capit aquam de manu abbatis, prioris vel senioris, prout in regula habetur. Hoc fit isto modo, quia quando hospes debet intrare refectorium, ita quod est ante refectorium, tunc dicitur sibi quod expectet modicum. Eo expectante venit prior, et habet vas aquae in una manu et manutergium in altera manu. Et deposito caputio fundit hospiti aquam ad manus ut bene lavet, et manibus bene lotis extendit sibi manutergium ut manus tergat. Manibus bene tersis unus frater recipit talia a priore, et prior introducit hospitem ad refectorium in locum ubi stet ante mensam ut supra dictum est. Simili modo in domo hospitem magister hospitem in prima comestione dat hospiti aquam ad manus ut dictum est, et dat eis illam lotionem in domo ante mensam et non ante domum, prout dixi de refectorio. Etiam sciendum est quod quamvis magister hospitem respiciat hospitem, prout superius dictum est, tamen prior non dimittit quin ad minus semel extra refectorium in domo hospitem cum hospite frangat jejunium, ut sibi caritatem exhibeat. Et diligentissime cavet ne aliquis negligat refectorium.

18. De fratribus qui comedunt in terra.

In refectorio custoditur una parva mensa quae vix est alta ad altitudinem unius manus. Quando ergo aliquis debet comedere in terra, ipse ponit se ad medium refectorii ubi ante posita sibi talis parva mensa sine mensali, sed cum pane et vasis, de quibus debet bibere; et ibi sedet, et comedit. et bibit, secundum quod sibi injunctum fuit in capitulo, et talis non comedit in abscondito sub mensa, sed in manifesto in medio refectorii. Et interrogavi a fratribus an etiam aliquis pro talibus intercedere soleat, sicut nobiscum circatores faciunt rogando quod mitigetur paena vel relaxetur. Et responsum est mihi quod non; sed quilibet poenitentiam suam tenet, sicut sibi

injunctum fuit, nisi tunc aliquis sit in carcere vel in graviori culpa: pro eo tunc fiunt intercessionēs, alias non.

19. De mandato in Sabbato.

Omni sabbato peragitur mandatum, sed ipsi peragunt antequam pulsetur ad vesperas, et omnimodo peragunt sicut nos, sed debite et bene lavant pedes, non festinando, sed flexis genibus. Unus lavat et alter tergit. Et ille tergens osculari solet pedem ultimo tersum. Et sciendum quod ipsi omni sabbato peragunt mandatum, nec hoc dimittunt propter aliquod festum, nisi sit valde magnum, ut festum nativitatis Christi, vel simile. Ergo propter festa alicujus apostoli, martiris, confessoris vel virginis hoc non dimittunt nec anticipant. Sed si festum nativitatis vel aliud festum Christi venerit in sabbato, tunc anticipant et tenent mandatum in uno die praecedenti. Alias semper tenent mandata in sabbato ante vesperas, ita quod postea pulsatur ad vesperas. Et celebrantur vesperae. Et quolibet sabbato, nisi aliquod festum impediatur, purgant bene domum, hoc est, refectorium et ambitum, ubi necesse est, et locum conventualem, et locum capitularem, et in vigiliis magnorum festorum chorum et ecclesiam et alia loca sacrata, immo interdum domum hospitem, quando sperantur hospites venturi, et etiam infirmitorium et dormitorium; talia enim loca semper sunt munda et nitida. Et in purgando sic se habent, quod ipsi omnes purgant: scilicet prior accipit per se unam scopam, et purgat, et lutum colligit, et deportat. Et sic quilibet alius, tam sacerdos quam non sacerdos, laborat purgando, etc. Et si ante prandium non possunt perficere, tunc post prandium tantum faciunt quantum possunt, ita quod horas vel confessiones vel mandatum non negligunt, sed debito tempore servant. Et vidi duos et duos simul laborare in diversis locis, videlicet duo purgabant refectorium, duo in ambitu, duo in alio loco. Aliis diebus ipsi etiam habent certos labores, quia vel legunt pisa, ita quod pisa coquenda purgant colligendo de ipsis mala pisa, vel alios labores faciunt simul in uno loco vel separatim in diversis locis.

20. De ebdomadariis coquinae.

In coquina ita servatur, quia est unus frater conversus coquus, qui est quotidie in hoc officio, cui omni septimana datur unus socius, scilicet unus monachus, quia secundum ordinem quilibet monachus, sive sacerdos sive non, conversus vel alius, quando eum tangit ordo, est coquus, hoc est adjutor illius coqui. Et ille monachus servit humiliter in coquina per septimanam suam, scilicet, cum fuerit necesse, debito tempore afferendo coquo aquam, lavando scutellas, et alia vasa ministrando et servando ea, purgando coquinam et cetera quae viderit fore utilia. Et sic in coquina conventuali et regulari ego vidi omnia munda, et omnia bene disposita et ordinata. Ista tamen isto modo fiunt, quod iste monachus in sua ebdomada propter coquinam nunquam negligit chorum, refectorium vel alia opera regularia. Sed ebdomadarius mensae respicit refectorium, et ea quae ibi fuerint necessaria. Et quomodo ebdomadarii mensae serviant patet superius, ubi dictum est quomodo servetur in refectorio. Et ista omnia concordant cum regula.

21. De lectore mensae.

Quilibet legit ad mensam tam sacerdos quam non sacerdos. Imo vidi et audivi legere ad mensam unum monachum sexaginta annorum. Verum est quod conversi et oblati non legunt.

22. De lectione ad Collationem.

Omni sero ante completorium legitur ad Collationem in loco conventuali, etiam si sit festum summum. Et in nullo tempore illam collationem dimittunt. Et ad illam lectionem collationis conveniunt omnes tam sacerdotes quam non

sacerdotes, conversi et oblati, qui convenire possunt. Et legitur ibi una bona lectio. Et quando videtur priori quod satis sit lectum, tunc facit cessare lectorem, et recipit librum ad se, et exponit ibi in vulgari seu in materna ea quae lecta fuerint. Haec expositio semper fit omni die de sero in collatione per domnum priorem. Et postquam satis fuerit lectum et etiam expositum, tunc dominus prior jubet lectorem dicere Fratres sobrii estote, etc., et transiunt ad Completorium.

23. De jejuniio regulae.

De jejuniio regulae multi faciunt diversas disputationes. Sed utilius est inutiles quaestiones devitare et sanctorum documenta humiliter intelligere et studiosius imitari, quam variis et peregrinis abduci disputationibus. In istis sanctis locis ab initio usque in hodiernum diem sic servatur. Nam jejuniium regulae ipsi incipiunt in idibus septembribus, hoc est in vigilia Exaltationis sanctae Crucis, ita quod in illa vigilia tantum semel comedunt. Et est diligenter notandum, quod in illo jejuniio nunquam dispensatur cum conventu ad comedendum bis, nisi tantum in festo Omnium Sanctorum, et in festo Domini Nostri Jesu Christi. In illis duobus diebus dumtaxat dispensatur cum conventu, et comedunt bis in refectorio, ita tamen quod post coenam, quando dicunt gratias, non exeunt refectorium sed legunt gratias in refectorio. Sed aliis diebus, neque in festo Conceptionis Mariae, sancti Stephani, sancti Johannis, sanctorum Innocentium, Epiphaniae, Circumcisionis, nunquam dispensatur cum conventu, sed omnibus illis diebus tantum semel comedunt, et stricte servant illud jejuniium. Et non dispensantur in festis duodecim lectionum, neque majoribus, nisi tantum in praedictis duobus diebus, et etiam in die Exaltationis Sanctae Crucis tantum semel comedunt neque dispensantur. Sed omnibus diebus dominicis dispensantur. Sed cum illis qui fatigati sunt magnis laboribus et detenti infirmitatibus dispensatur.

24. De jejuniis aliis.

A festo Paschae usque ad vigiliam Ascensionis Domini, omni die bis comedunt, etiam in sextis feriis; sed ulterius servatur sicut apud nos usque ad medium Julii. Sed a medio Julii usque ad finem Augusti comedunt bis, ita quod raro aliquem diem jejunant, et hoc est propter magnos calores qui habentur tunc quotidie in illis partibus. Et ergo jejunare non possunt.

25. De potu collationis.

Collationem nunquam bibunt extra refectorium, sed semper in refectorio, et ergo in hortis et in infirmitario nunquam bibunt aliquam collationem. Et nihil est tam periculosum, sicut bibere de sero collationem in hortis ubi fiunt fabulationes, risus, et quidquid monachus per totam diem collegit, hoc ibi dispergit et perdit. Et nota quod quando comedunt bis in die, tunc nunquam bibunt collationem, etiam ut infra pascha et penthecosten nunquam bibunt aliquam collationem, sed post coenam quilibet vadit ad cellam suam, donec pulsetur ad lectionem collationis, et tunc conveniunt in loco conventuali, et legitur et exponitur lectio collationis, et post hanc fit completorium. Et sic quancumque comedunt bis quocumque tempore anni sit, sive frigido sive calido, tunc nunquam bibunt collationem, sed quilibet postquam surrexit a coena, abstinet usque in sequentem diem. Et hoc servant omnibus diebus quibus bis comedunt. Sed quancumque comedunt tantum semel in die, tunc semper de sero bibunt collationem in refectorio, et nunquam extra refectorium. Conventus enim nunquam debet bibere vel comedere extra refectorium, sicut nec dormire extra dormitorium. Et post potum collationis, vadunt ad lectionem collationis, ut superius scriptum est.

26. De infirmis fratribus.

Quando aliquis infirmatur, tunc cum omni humilitate et caritate sibi servitur in infirmitorio. Immo si interdum aliquis nimis debilis redditur, tunc prior praecipit sibi quod comedat carnes. Et prior visitat infirmum per se, et exhibet sibi omnem consolationem quam potest. Et si quis tantum infirmatur, quod oportet circa eum fieri vigiliis de nocte, tunc servant istum modum, quia quilibet vigilat per unam noctem circa infirmum, ita quod incipiunt a juniore vel a sene. Et quilibet quando eum ordo tangit, vigilat suam noctem. Et sic fit per totam congregationem, et reincipitur si fuerit necesse.

27. De Communione et extrema unctione infirmorum.

Quando aliquis infirmus jacens in lecto petit sibi ministrari sacramentum corporis Christi, tunc pulsatur campana conventualis, et omnes conveniunt intrantes ecclesiam. Et unus sacerdos albam et stolam ac si debeat celebrare induit, sed casulam non induit. Et reverenter accipit Sacramentum Corporis Christi, et duo praecedunt eum cereis ardentibus, et ante illos unus cum aqua benedicta, et circa illum unus cum tyntynnabulo sonante, et sequitur tota congregatio. Et incipiunt Miserere mei Deus, etc. Et transiunt ad infirmum legunt Miserere mei Deus. Et quando intrant infirmitorium, tunc dicitur Pax haec domni, etc. Et legitur oratio pro pace domus, et aspergitur domus aqua benedicta, et intrant ad infirmum. Et infirmus si potest dicit aperte Confiteor. Et respondent omnes legendo Misereatur tui, etc. Et quilibet sacerdos legit super eum absolutionem generalem,¹⁾ quae potest esse ista:

„Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego autoritate ipsius et autoritate qua fungor, absolvo te ab omnibus peccatis tuis confessis, contritis et oblitis, quae libenter confiteri velles si in memoria haberes, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.“

Postea dat sibi Sacramentum Corporis Christi, et redit congregatio cum sacramento ad ecclesiam legendo Miserere mei Deus.

Similiter faciunt quando vadunt ad infirmum cum sacramento extremae unctionis, et leguntur orationes quae habentur in ordinario, prout nobiscum etiam habentur.

28. De balneis infirmorum et sanorum.

Infirmis praeparantur balnea secundum regulam; sed fratribus non infirmis nunquam praeparantur balnea in istis locis, neque hic est usus balnearum, sed si quis interdum gravatur sudoribus, ille pouit pedes et crura ad aquam calidam, et circumtegit se vestibus, ut sedendo²⁾ sudat. Ista dixerunt mihi, sed hoc est verissimum quod nunquam balneantur. Et semel interrogavi Cluniacensem cum quo transivi pro spatio Romae, utrum etiam ipsi uerentur balneis; qui respondit mihi quod nunquam, quia dixit quod balneari esset quasi luxuriari. Patet ergo quod periculosum est monacho balneari. Sed si oportet balneari, tunc ita praeparantur balneatoria, quod quilibet solus in uno loco balneetur. Et multae cantelae sunt ibi necessariae, ubi infectiones latenter subripiunt tam variae.

29. De mortuo sepeliendo.

Mortuo aliquo fratre, adest aliquis humilis frater, cui injunctum fuerit, qui mundissime lavat illud corpus et induit ipsum tunicam nocturnalem et

¹⁾ Expunctis sequentibus usque ad Postea, Henricus in margine posuit: „Absolutio generalis dicitur illa oratio: Indulgentiam, etc., ut patet in illis dictis quae postea meum apportavi.“

²⁾ Supra haec verba adjectum legitur: „vel isto modo.“

cingit cum cingulo, et induit ipsum caligas et scapulare, et cappam, et illo modo sepelitur.

30. In generali de dispositione officinarum.

Quomodo et qualiter officinae sint dispositae, ego pressus tribulationibus et imbecillitatibus non describo. Sed tantum unum scietis quod in infirmitorio est specialis coquina pro infirmis, ubi coquantur eis carnes et talia necessaria. Sed qualiter refectorium et dormitorium cum cellis sint disposita, et qualiter chorus, et locus in quo jaceatur sputum in choro, et quomodo ponantur libri, et quomodo lumina ardentia ad nocturnos regantur, ita quod non est necesse quod aliquis tempore frigidus teneat, ego non scripsi in praesenti. Sed rogate Deum ut, si sit voluntas ejus, ego redeam ad vos, et dicam pro posse meo singula. Et curavi tantum ista scribi, quae apud nos scivi nunc instituta. Et ista vidi, legi et audiui in nostris monasteriis Specus et Sublacensi, in quibus steti circa quindecim dies, et cum multa caritate me tractarunt, retribuatur illis Dominus! et de illis quae interrogavi me caritative informaverunt. Et ista scripsi vobis, sperans quod debeatis plenius reformari, secundum eandem petens humiliter quod nemo superbiat inter nos, tanquam plus sapiat; sed quilibet alteri humilietur. Et ista quae in caritate conscripsi aliis transcribenda sunt, ut, disputationibus verbosis postpositis se regant secundum ea. — Et illa omnia sunt transportata a coenobio Sublacensi ad Hersfeldiam per domnum Henricum . . . fenstein ¹⁾ monachum ibidem.

In fine alterius manu, ipsius scilicet Henrici, reperitur scriptum: „Nota per totum iste tractatus est verissimus et per me correctus qui vidi et audiui. Sed interdum grammatica est corrupta in scribendo. Ad hoc solum attende.“

Ein Beitrag zur Erklärung von Litaniae und Missae in Capp. 9—17 der heiligen Regel.

Von P. Suitbert Baumer in Maredsous.

Ueber die Worte Litaniae und Missae haben die Commentatoren unserer heiligen Regel so Vieles schon vorgebracht, dass es überflüssig erscheinen möchte, sich noch in eine weitere Untersuchung über den Sinn der genannten Ausdrücke einzulassen. Wir schmeicheln uns auch nicht mit der Hoffnung, durch eine neue Worterklärung den Sinn feststellen zu können, welchen der hl. V. Benedictus, dem Sprachgebrauche seiner Zeit zufolge, damit verbunden haben muss; vielmehr möchten wir durch eine geschichtliche Darstellung zu zeigen versuchen, was an jener Stelle des Officiums, wo St. Benedict litaniae und missae ansetzt, in der ganzen Kirche, und somit auch wohl in Subiaco und Monte Cassino sich vorfand. Es dürfte daraus vielleicht

¹⁾ Primam nominis syllabam calamo nimis intincto confuse scriptam legere non potui.